



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quinque capita unde crescant, vel decrescant rerum pretia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Quinquæ capita, unde crescant, vel decrescant rerum pretia.

Ut autem id, sine errore, cognoscatur, subdam hic quinque capita, unde res maioris, vel minoris, æstimari poterunt, quorum profectò notitia maximo erit in taxandis eorum pretijs. Quando enim hi taxantur in latitudine pretij vulgaris, nisi taxa ab eis designata esse claret (nam in dubio, pro Magistratu, & de iust. d. 26. s. 5. à num. 53.) iniusta, & etiam in æquitate, non servanda. Ita Sanchez l. 1. c. 7. dub. 5. hoc id probans. Hæc autem capita confusè satis, & sparsim ab Authoribus approbata, ad quinque ordinatim reduco. Primum se tenet ex parte rei venditæ. Secundum ex parte rei ementium, & vendentium. Quartum ex parte rei ratione expensarum. Quintum ex parte modi vendendi.

Ex parte rei venditæ.

1. Primum ergo, quod se tenet ex parte rei venditæ, est abundantia, vel penuria mercium, hæc enim auget pretium, illa minuit. Hoc reducitur novitas, & antiquitas rerum, quæ quia raritatem indicant, pretium augent; ut in fructibus novis, & in imaginibus, & Statuæ antiquis.

Ex parte pretij.

2. Secundum est ex parte pretij. Abundantia enim, vel penuria pecunie minuit, vel auget rei valorem, ut patet in Indis; ubi quia est multa argenti, atque copiosa, numerose pecunia, atque adeo carius res distrahuntur.

Ex arte emptorum, & venditorum; Vbi:

An exteris carius possit vendi.

3. Tertium se tenet ex parte emptionis, & venditionis. Quando enim emptores frequentes sunt, carius merces venduntur, quam quando sunt rari; & meritis, accedentibus enim multis emptoribus inducitur rerum penuria, apparentibus paucis, persistit abundantia. Quando item multi sunt venditores, vilescunt merces, quia si sunt venditores multi, multa est & abundans merx. Hinc plures res venduntur in Officiis, quam cum venditores per viros, & domos quarunt emptores, & plures, quando merces appetuntur, quam quando offeruntur, iuxta illud Proverbiū, teste Caietano 2. 2. q. 77. art. 1. & approbante Lessio l. 2. cap. 21. d. 4. num. 33. aliisque apud ipsum: Merces ultroneas vilescunt pro tertia parte, lumen eisdem ultroneas vilescere, usque ad medium, docent Barthol. à S. Faust. Rebell. Megala apud Dianam p. 1. 2. art. 8. ref. 23. 53. & 88. Adde Palatium mox referentem.

4. Hinc propter eandem rationem, qui emit in gratiam venditoris, verbi gratia, rogatus, potest emere minoris; & qui vendit in gratiam emptoris, potest vendere plures. Sanè Palatius d. Emptio, dixit passim, quod in Officiis valet quatuor aureis posse à te emi duobus, si rogetis, & de Lugo l. 2. d. 26. s. 5. à num. 44. Palatium refert, nec tamen refellit. Ioannes item de la Cruce? Potest qui (ait) emere censum iam impositum minori pretio taxæ, si quis quia rogatur, subdit Diana, l. c. Potest igitur pro censu imposito ad rationem quinque pro centenario, dare tantum viciis octoginta, rogatus tamen emere.

5. Hinc denique respondetur ad illam dubitationem. An exteris possit aliquando vendi carius; Vtique posse, colligitur ex dictis, quia per adventum multorum extorem, verbi gratia, in appulsu tritremium regiarum

Parti I.

crescit multitudo ementium, atque adeo augentur pretia rerum; Venditor ergo his exteris vendere poterit hoc iusto supremo pretio. Civibus autem ex liberalitate illud remittere, contentus modico, quod vigebat antea: lege Mol. d. 346. Less. l. c. dub. 4. num. 10. Fag. de contr. l. 5. c. 27. num. 14. Quid, si exteri sint infrequentes, ita ut non pariant augmentum pretij; Respondeo, tunc non posse exteris supra supremum vulgare res vendi. Ratio est, quia si supponis pretium vulgare persistere, in iuria ipsis fieret, si illud pro ipsis non servaretur. Idem dic, quando advenientibus multis exteris, conflueret item multa copia mercium: nam tunc quod crescit ex vna parte, decrescit ex alia.

6. Non absimili modo sentiendum de Principe, seu Magistrato in taxando pretio pro iisdem exteris: solum enim illi concedo, ut possit augere pretium pro omnibus etiam incolis, advenientibus multis propter rationem dictam, non autem advenientibus paucis. Et illud item non puto improbabile, posse Principem statuere, ut pro exteris res vendantur supremo, vulgari pretio, pro Civibus medio, aliquid enim concedendum videtur Civibus, qui oneribus propriæ Civitatis perpetuò subfunt; at ut iisdem exteris vendantur supra omne iustum pretium, nullo modo puto probabile, quia quod est supra pretium supremum, iniustum clare est. Ita colligitur ex Molina. Less. Fagundez citatis.

An iisdem exteris possit concedi, ut suas merces carius vendant, dicam infra, §. 5. n. 1.

Ex parte, seu ratione expensarum, &c.

7. Quartum caput se tenet ex parte expensarum, &c. Pericula enim, & damna, & expensæ venditorum communiter occurrentia in quærendis, transportandis, conservandis mercibus, earum pretium augent: Contrà, facilitas, securitas, &c. minuunt.

8. Dixi (communiter occurrentia) nam ex eo, quod peculiaris Mercator multum de suis mercibus perdidit, v.g. ob furtum, ob naufragium, ob quid simile à se passum, non augetur legitima pro ipso pretium, quasi ob id, possit vendere carius. Ratio est, quia res tanti valet, quanti per se æstimatur communiter, non autem, quanti tibi ob infortunium, vel imprudentiam valuit. Ita Salas d. 39. Quod si naufragium, v.g. vel fuit commune multis Mercatoribus, vel fuit tali, ut induceret penuriam mercium: tunc profectò crescit sine dubitatione pretium, sed non ob unius Mercatoris causam, ut ex se patet.

9. Huc spectat, quando res plures venduntur apud unum Artificem insignem, vel Mercatorem peritum, quam non eius generis; Nobilitas enim venditoris aliquando nobilitat mercem, sicut nobilitas Artificis officium, quia supponitur, nobiliores Mercatores, atque Artifices magis laborasse in advehendis mercibus, & in artefactis efformandis.

10. Huc etiam reducitur licentia, quâ Mercatores possunt vendere aliquando carius ex ipso officio mercandi: ita Less. l. 2. c. 21. n. 4. Salas de empt. d. 29. n. 1. cum enim hi assidue laborent, expensæque faciant circa merces, unde cogantur alias lucrandi occasiones relinquere, atque negotia alia posthabere, idque in commodum Reip. cuius interest habere Mercatores ex officio: congruum est, ut hæc licentia iis concedatur in pretio vulgari, nam si ad est legitimum, non potest supra hoc Mercator vendere, quia in taxatione legitimi, iam haberi solet ratio officij Mercatoris. Puto autem, cum Less. l. c. n. 29. eum, qui non est Mercator ex officio, posse aliquando ex consequenti vendere pretio, quo ex officio vendunt Mercatores: quia posito, quod Mercatores ita vendunt, eiusmodi pretium iam sit vulgare in Civitate.

Ex parte modi vendendi.

11. Quintum caput se tenet ex parte modi vendendi. G g 3 Vendit.